



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **SILESIAE ANTIQUISSIMA** IMAGO BEATAE MARIAE  
VIRGINIS GRATIARUM,  
QUAE SUB TITULO «MATKI BOŻEJ ŁASKAWEJ» IN SANCTUARIO  
LOCI V.D. KRZESZÓW PIE COLITUR, PRETIOSO DIADEMATE REDIMIRI  
SINITUR «NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS» Ad perpetuam rei memoriam. – Silesiae antiquissima  
Deiparae Virginis suavis imago, quae a multis iam saeculis in ecclesia loci v.d. Krzeszów custoditur, populi renovata  
devotione volumus cumuletur. Etenim cunctis credentibus «se praestat Maria tamquam exemplum receptae gratiae ab  
homine creato» (*Vita consecrata*, 28). Quamobrem libentes concedimus petenti Venerabili Fratri Thaddaeo Rybak,  
Episcopo Legnicensi, qui litteris die XII mensis Februarii hoc anno datis communia vota cleri et christifidelium expromit, ut  
pulchra multisque gratiis praeclara imago Beatae Mariae Virginis Gratiarum, quae sub titulo «Matki Bożej Łaskawej» in  
sanctuario loci v.d. Krzeszów ab antiquis temporibus pie colitur, Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate redimiri  
possit. Spem insuper de hoc firmam habemus fore ut Mater divinae gratiae imploret recens constitutae dioecesi  
Legnicensi fidei et caritatis augmentum. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum*  
*Petrum, sub anulo Piscatoris, die V mensis Iulii, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo. ANGELUS card.*  
SODANO

*Secretarius Status © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana*

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana